


Johannes Mautner

Joannis Mautneri Pannonii Rosa Varniaca. seu Lyceum Rostochiense Anagrammaticum

[Rostochii]: Reusnerus, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730476383>

Druck Freier  Zugang



MK – 7689.20

Joannis Mautneri Pannonij,
Rosa Varniaca.


seu
Lycéum

ROSTOCHI- ENSE

Anagrammaticum.

Ad Lectorem.

*Prolixum forsas potuisssem fundere carmen,
Fecundoq; magis luxuriare filo.
Stricta mihi potius placuit sententia, ne, dum
Carmina multa legis, crimina multa legas.*



PRÆLO REHSNERIANO,

Anno

MD. CXXV.

Mk-968920
Mk-2447 III. 5.

*Clariss^o ac Consulis^o Viro Dno Ant
nio Wolffrinfuo J. U. D. ac Reipub. R
Subsign. fauloris bonu, m. H. M. J. St.*

ROSTOCK
FASSE

10 p. 101 - 110



Ad
RECTOREM

Magnificum,

Virum

Clarissimum & Excellentissimum,

DOMINUM

PETRUM LAUREMBERGIUM,

Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, ac Poëtas

in Inclita Rosarum Acad. Publ.

Professorem.

MAxime Phœbèi, LAUREMBERGERE, Lycæi
Dux; & Varniacæ gloria summa ROSÆ,
Si te Magnificos paullum demittere fasces,
Et versus humiles non pudet inspicere;
Per lege pagellas has. Nec mirère, quòd autor
Tantulus obtulerim tantula metra tibi.
Tantula metra tibi dum tantulus offero vases;
Te cupio tantum conciliare mihi.

Aliud.

Hanc tibi pauperiem jejuna dedico Musæ,
Cui nihil eloquii floridioris inest.
Philosophi dicunt: quod non bene cernitur in se.
Hoc ex oppositis cernitur appositè.
Lauta tibi quam sit, quam sit tibi culta supellex,
Si nescis; stipulas has lege, Petre: scies.

A 2

ANA-

ANAGRAMMATA:

Lauremberg.

Anagram.

Rege labrum!

Summa tenes VARNI qui culmina, MAGNIFICI^q
RECTORIS fasces & diadema geris,
Tu mihi principium, tu sis mihi finis in istis
Carminibus! Sine te nil volo, nil valeo.
Sanè non Vates videar tibi: nec mihi pectus
Orag, Pieridas erudiisse putes.
Sum rudis ingenii, sum venæ pauperis infans;
Nec, nisi parva, meo gutture metra fluunt.
Omnipotens verbis (ut sic loquar) est TIBI lingua:
Dum loquor ista, meum tu rege, quaeso, labrum!

Laurembergius.

Anagram.

En Urbis regula!

Fasces, Petre, tibi concessit Apollo ROSARUM,
Imperii^q dedit sceptrum verenda sui.
Urbis Apollineæ sellam retinendo curulem,
RECTOR es; en, Urbis regula, norma, canon.

Petrus Laurembergius.

Anagramma.

Urbem latè regis purus.

Hanc Urbem latè purus regis, & geris altè
Magnifici RECTOR signa corusca DUCIS

Petrus Laurembergius.

Anagramma.

Super nubila resurget.

Nubila celsa super MONS LAUREUS iste resurget:
Pene solo nobis qui modò conciderat.

Petrus

Petrus Laurembergius.

Anagramma.

Tu purus labe geris rem.

Nec volo, nec valeo te commendare, tuæq;
Vel minimam laudis tangere particulam.

Hoc unum dico: tu purus labe geris rem.

Objiciet Momus crimina nulla tibi.

Aliud.

Purum sal gerit e rebus.

Qua dedit in lucem, dedit haut insula vir iste
Scripta; sed ANTIQUO condit illa sale.

ô! utinamq; diu Genio quod prepete cunctis

E rebus purum sal gerit ille, gerat!

Petrus Laurembergius Doctor Medicinæ.

Anagramma.

Scribe, ô Vir comte per artem, dignus laude.

Scripta legens nuper tua Parnassejus Apollo,
Hoc statuit de te nobile iudicium:

Scribe diu felix ô Vir bene comte per artem,

Dignus enim famâ, nomine, laude, vires.

Aliud.

Side diu publicè te RECTOR magne ROSARUM!

Candida vota libens nuper tibi, Petre, dedissem,

VARNIACÆ caperes cum diadema SCHOLÆ.

Sed tamen haut rebar votis opus esse. quid? ipsum

Vota tibi nomen talia, Petre, dabat:

Side diu publicè te RECTOR magne ROSARUM,

Et niteas nostrâ fidus in Urbe diu!

Petrus Laurembergius Philosophiæ & Medicinæ

Doctor, poëseos publicus Professor.

Anagramma.

Vive HOSPES, super orbe tuos flores cape PHOEBII

Pol! decor, & puris inclita gemma ROSIS!

Evolutio.

Felix, Petre, Vir es. quare? quia nuper apud te

Hospitium fixit magnus Apollo suum.

Gratulor ambobus de pectore. plus tamen *illi*,
 Quam tibi: nec causæ pondere destituor.
 Phœbus amat montes. Tu *MONS*, es nobilis. in Fe
 Hospitium Phœbus gaudet habere suum.
 Hinc so felicem pariter putat, atq; beatum.
 Invenit talem te quod Apollo virum.
 Non poterit certè jucundis floribus unquam
 Destitui sua res, Petre, geriq; male.
 Num me Phœbus amet, dubito, tuus: hunc ego certè,
 Quicquid agat, toto pectore semper amo.
 Parce mihi, pro se quod dem tibi vota; licet sit
 Insuper me doctior ille modis:
 Vive, *HOSPES*, super orbe tuos flores cape, *PHOEBII*
 Pol! decor, & puris inclita gemma *ROSIS*.

Joannes Quistorpius.

Anagramm.

Spernit iniquos avos.

DOCTOR ita mea metra *L. M. Q.*
 Dedico, quem presens fors ita commemorat:
 Impia Vir pius odit avos & spernit iniquos,
 Cui nihil hinc præter fæve piæ me placet.

Aliud.

Ipsè antiquus honoris.

Non est antiquus Quistorpius iste *DIERUM*.
 Hactenus in medio stat sua vita gradu.
 Ipse tamen magni satis est antiquus *HONORIS*,
 Ungues ad morsum quem peperere sibi.

Aliud.

Punis nequitiæ, osor.

Magnus es in cunctis: tamen hæc, me iudice, laus est
 Maxima; quod mutos non imitere canes.
 Osor es hereticum: zeloso pectore punis
 Calvinii technas, nequitiæve *PAPA*.

Docto:

Doctor Johannes Quistorpius.

Anagramma.

Proh! quantus in te fociis odor!

Tor varios inter flores caput exeris altum,
DOCTOR, odorata flos generose ROSÆ
De te quid dicam? proh! in te quantus & ex te
Surgit odor fociis semper, Iano, tuis!

Joannes Quistorpius.

Anagramma.

Io! tu spernas iniquos.

Qui fuit, est, & erit mos semper iniquus iniquus;
Carpitur innocua fama subinde viri.
Zoileos morsus non effugit ullus. An ullum:
Jane, putas cunctis posse satisfacere?
Sed tamen haut de te (quantum tua nomina novi)
Audiui quenquam, Vir venerande, queri.
Forfitan est aliquis dentes qui, Jane, caninos
In tua presumat nomina concutere?
En tibi, Io spernas, nomen succentat, iniquos.
Non poteris melius Zoilon effugere.

Joannes Cottmannus.

Anagramma.

En tu constans animo.

Si non exiguam meruit constantia laudem,
Grata pii virtus, sed mage grata Deo.
En animo tu Vir constans es. Maeste, requirit
Constantes animo Thejologia viros.

Joannes Cottmannus W.

Anagramma.

Tu annosum Noa vinctes.

Annosum vitā vinctes Noa. quomodo? vixit.
Noe diu, tamen est mortuus ille semel.
Tu verò mortem nunquam, Cotmanne, videbis.
In scriptis vivis; non potes ergo mori.

Doctor

Doctor Joannes Cotmannus,

Anagramma.

Non es tam cito coronandus.

Justi fulgebunt ut Sol, Cotmanne, manétque

In caelis humiles certa corona ritos.

Certa tibi quamvis sint Caeli premia: Non es

Jane, coronandus tam cito. Vive diu!

Do. Joannes Cothman.

Anagramma.

Odi, non amo techinas.

Non fucata tibi mens est, Cothmanne: sed aura
Purior, hyberná candidiorque nive.

Non propter sortem tibi, qua dicuntur in illá:

Propter te sorti credimus ergo tua.

Joannes Cothmannius.

Anagramma.

Hic non est amans novi.

Omen habet quocúmque modo scribatur honestum,
Is, qui Cothmanni nobile nomen habet.

Hoc quoque non minimam laudem, noménque meretur

Non leve; quod cupidus non sit amansque novi.

D. Stephanus Clotsius.

Anagr.

Noctis lapsu studes.

Pluribus exhibuite, Vir doctissime, nuper;

Dum tibi supremum rite daretur honos.

Nunc uno celebri tete schediasmate tantum,

Ne prorsus, Clotzi, praetereare mihi.

Multa studes noctis lapsu, nec pauca dici,

Grande Professoris dum diadema geris.

Macte tuis studiis, Clotzi, vigiliisque labare!

DOCTORIS titulos hac tibi cura dedit.

Doctor

Doctor Thomas Lindemanus.

Anagramma.

ò hic monstra domans ludet.

Hic quoq; DOCTORUM nunc est adscitus in agmen,
Qui Juvenum nuper gloria summa fuit.
Incipiet certè fecundam pandere mentem,
Et calamos doctæ stringere ritè manu.
ò quantis gladiis in campo ludet aperto,
Hæreticūq; domans monstra, domansq; lupos.

Aliud.

Tu olor scandis ad montem.

AD montem scandis tu, Lindemane, Sionis;
Non secus ac pennis evolat albus olor.
Ad montem felix i, Lindemane, Sionis;
In mundo nullus te superabit olor.

Albertus Heinius Juris Doctor.

Anagramma

Enarro Jus doctè, subtilis Vir.

ENarro doctè Jus vir subtilis & acer.
Hinc in Jure loco principe jurè locor.

Laurentius Stephani J. Doctor.

Anagramma

Hic lotus in arte, Jus ponderat.

Ponderat hic Jus, vir Themidū bene lotus in arte,
Sicq; sue partes conditionis obit.
Hinc meritò comites HeinI præponderat omnes,
Et loca DOCTORUM digna secundus habet.

Nicolaus Schütze.

Anagr. z. per t. s.

Ah tu Sol cunctis es.

Iurè mihi vocem fors & Deus extudit istam:
Ah tu Sol cunctis es, Nicolæ, viris.

B

H

*Has tenebras, Schützi, tibi mitto libenter; ut à te
Accipiant lucem carmina nostra suam.*

Joannes Kleinschmid Juris U. Doctor.

Anagram.

Tu indemnis diceris. oh cluis coronâ.

Diceris indemnis vir, & omni crimine purus,
VARNIACÆ, Schmidî, pulcher ocellè SCHOLÆ.
Oh quantâ cluis in terris gaudésq; coronâ!
Oh quantâ cœli post super axe clues!

Henricus Schuckman Juris
utriusque Doctor.

Anagram.

Hic jus nunc rimatur, sicq;
rursus hoc docet.

In nostro quidnam faceres, Schuckmanne, Roseto;
Quæsitam memini sic retulisse Themîn:
Hic jus nunc curâ rimatur perpete: sicq;
Rursus Varniacas hoc docet ille ROSAS.

Henricus Rahne Juris Doctor.

Anagramma.

Hic Vir charus Deo, non terris.

Æqua placent Superis. Justus Deus odit & æquus
Injustos; contrâ Mundus iniquus amat.
Tam justus cum sit; non frustrâ dicitur hic Vir
Non charus terris, charus at esse Deo.

Joannes Afverus Amfing.

Anagramma.

Sanè magnus à donis Vir es.

Indictum poteram te, Jane, relinquere; fama
Nam tua nil hodie carminis hujus eget.
Spargitur hæc latè, lateas licet. ô clue! Sanè
A donis magnus, magnus ab arte vir es

Jaco.

Jacobus Fabricius Medicinæ Doctor.

Anagramma.

Citò ac benè curas morbos. i, i, fac id diu!

Humanos, Fabrici, citò curas ac benè morbos.
I, sic, i, nostra fac id in urbe diu!

Doctor Simon Pauli.

Anagramma.

O placidus monitor!

Hippocrata tuis quoties secreta recludis,
Exclamant omnes: O placidus monitor!
Cum tua pro cathedris sublimibus ora resolvis,
Exclamant omnes; ô placidus monitor!
Intrepidè de te dicam, quod sentio. Sanè,
Quicquid agant alii, tu mihi, Paule, places.

Doctor Simon Paulli.

Anagramma.

Dictus Apollo minor.

Rostochii nullus cum sit te major Apollo,
Miror curnam sis dictus Apollo minor.

Michael Neucrantzius Philosophiæ
& Medicinæ Doctor.

Anagr. 2 per ts.

Heus i, nihil time! duplex te corona or-
nat: Sophica & Medica.

Non malè, NEUCRANZI generose, CORONA rostris:
conveniunt bellè nomina: èq; tibi.
Te duplex ornat cingitq; corona: coronâ
Dum Sophicâ fulges scilicet, & Medicâ.
Heus i, constanti Pylios in flore per annos:
Et timeas Momos invidiamq; nihil.

B 2

D. Joachi-

D. Joachimus Stokmannus.

Anagramma.

Is homo cunctis amandus.

Qualis is & quantus Vir sit non curo, quid ad me?
Sufficit hoc, cunctis quod sit amandus homo.
Nec dubito quin mortales superauerit omnes,
Si modo cunctorum dignus amore fuit.

Christianus Schmilow P. & M. Doctor.

Anagramma.

Hem! it studio comptus, clarus Chiron.

Nævates ego sim fatuus, si crescere nomen
Schmilovii nostro suscipere elogio.
Hem! studio comptus Chiron it clarus ad astra,
Doctorumq; virum nescit in ore mori.

Petrus Sapius.

Anagr.

Satis purus es.

SASSIUS an SASIUS dicare purum moror, aut nil.
Nam praesens ad epos nil facit istud opus.
Hoc fatius de te dicendum, Sapsie, duxi;
Quod satis es purus, clarus & arte Sophor.

Magister Georgius Dasenius.

Anagramma.

ô egregium artis fidus agens!

GNare v'ir ingenio caeli percurrere sedes,
Metiriq; Poli fuerus utramq; domum.
Artis agens magnae sublimia munera; fidus
Egregium & vivas ô valeasq; diu!

Magister Joannes Hufvedelius.

Anagramma.

Altum is; ah verè dignus es senio.

ET tu, cane pater, mihi non indictus abibis,
Omnis virtutis nobile depositum.

Laudi-

Laudibus hinc merito canam te prosequor. Ah tu
Is altum; verè dignus es hoc senio.

Magister Stephanus Hein.

Anagr.

Tu in spe sta, ah germines!

Interpres Sanctæ longè doctissime Lingua,
Omen legas de nomine:
In Christum sperans cœlestia respicis. ah tu
Spe stans in istâ germines:

Lucas Bacmeisterus.

Anagramma

Luces, micas, sub arte.

Bacmeisterere, sacrâ lucêsve micâsve sub arte,
Sicq̃ tuum Patrem, sic imit aris Avum.
Si Lucas sit idem quod Lux: ô quam bene, Luca,
Conveniunt rebus nomina vestra suis!

Aliud.

Sic tu Musas celebra.

Qui celebrat Musas, celebrabitur ipse vicissim
Multorum linguâ, carmine, laude, virum.
Tu Musas celebra sic, ut celebratus ab illis
Contingas famâ Solis utrâmq̃ domum.

Constantinus Fidler Pastor Marianus.

Epigramma

Inconstans non es tu, Constantine, vir: ista
Sors lateat quamvis nomine clausa tuo,
Sint alii tales istius nominis. Orbi
Constat Constantem te satis esse virum.

Anagramma

Stans in fide, curâ nostrâ, Polum intras.

Jam propior cœlo nitidis & proximus astris,
Jam rude donandus emeritûsve senex,
Hic nostrâ curâ, nostrâq̃ salute teneris,
Suggerit & vires ipse Jehova tibi.

B 3

Firmi-

*Firmiter in verâ stans religione fidēque,
Intras (ô intra, Vir bone, serò!) Polum.*

Magister Christianus Michael.

Anagramma

Maeste Vir amans Legis Christi!

Legis amans Christi multum Vir maeste! Salutem
Iste tibi multam, crede, parabit amor.

Elias Taddelius.

Anagr.

Ille à Deis datus.

Seu mores rimer, seu vitam mirer in illo,
Humano quiddam plus sapit ingenio.
Ille Deis propior caelestibus esse videtur,
A caelestibus est nam datus ille Deis.

M. Johannes Corfinius.

Anagr.

Hic non infimus é Rosâ.

Hic quoq; cordatus Jovæ fidusq; minister
Munia ritè suæ conditionis obit.
Inter honoratos, Lector, me judice, Mystas
E roseâ non est infimus iste Rosâ.

Magister David Tunder.

Anagr.

Ad regnum Dei traditus.

Ateneris Tunder factus deductus ad artes,
Ad regnumq; Dei traditus iste fuit.
Non miror, quâ vi, quo robore, tam bene cunctos
Hostes hic Tunder tundat Evangelii.

M. Joannes Steinius.

Epigramma

STEIN lapis est, & non lapis est, quia fortiter hic stat:
Non lapis est, quoniam verba facit lepide.

Anagr.

Anagramm.

In nomine Jesu stas.

IN Jesu quoniam stas nomine, stas bene. Namq;
Non potes in Jesu nomine stare male.

Zacharias Deutschius.

Anagr.

Sicut Zachæus radias.

Divino radias sicut Zachæus amore,
Sanctaq; perpetuò cor tibi flamma coquit.
Corpora fors vobis non sunt equalia; certe
Edita pro Christo scanditis ambo loca.
Arboris, ut discat Christum, subit ille cacumen:
Ut doceas, cathedram tu, Zacharia, subis.

Aliud z. per ts.

Hic Vates sat charus Dis.

Querebam de te, Deutschii venerande, quis esses,
Quam primum tua mi nomina nota forent.
Hoc unum de te dixit mihi ramor: hic, inquit,
Sat charus vates Dis erat, est, & erit.

Aliud.

Hic est assiduus chartâ.

Hic est assiduus chartâ calamôq; Sacerdos,
Munia dum sacra conditionis obit.
Hic est assiduus, dum nocte dieq; fidelis
Excubias Christi pro grege Pastor agit.

Aliud.

Heus, discutias chartas.

Discutias assiduò chartas veteresq; novasq;
Et varios studio fervidiorè libros.
Nequicquam lex hæc in nomine clamitat: heus tu,
Discutias chartas. Hoc sine lege facis.
Non bene nota tibi fuerat lex hæctenus ista;
Omnia scripta tamen sunt bene nota tibi.

Aliud.

Aliud.

Sat charus es, sta hic diu!

Divini, Deutschî, referas oracula verbi,
Atq; tuas Mannâ cœlite pascis oves.
Nil sine laude facis. populo sat charus es: ô sta
Hic, laudem felix & mereâre diu!

M. Zacharias Deutschîus.

Anagr. z. per t s.

Hic tu facer Mysta sudas.

Hic tu Mysta facer sudas defessus abunde:
Dum stygius Christi vastat ovile lupus.
Euge! nihil metuas. Sudorum flumina Christus
absterget vultu, sed super axe, tuo.

Magister Zacharias Deutschîus.

Anagramma

Dum fat hic agis, haut cares fertis.

Egregiè, Deutschî, spartam, quam nactus es, ornas:
Teq; sacer totum detinet usq; labor.
Haut Zacharia, cares fertis & laudibus. Hic tu
Dum fat agis laudes, officio sat agis.

Aliud.

Christi gestas cathedram. vivas!

In toto nemo solus sibi sufficit orbe,
Altera semper opem res petit alterius.
Cernitur hoc in te, Præsul doctissime, Christi
Tu cathedram gestas, teq; cathedra gerit.
Vivas ô, Deutschî, per secula multa! carere
Tu cathedrâ Christi, teq; cathedra nequit.

Aliud.

Gesta! adsit Christus charismave!

Immoror in te plus, Deutschî doctissime, nostram
Tu quoq; fers animo nam patiente moram.
Longè, quam reliquis, Deutschî, tibi debeo plura:
Quæ nequeo verbis solvere cuncta tibi

TU

Tu tamen esto memor, quam sit mihi prona voluntas
Omnibus officiis inseruire tibi.
Jam nunc dimittam, Deutschè, te, si prius istud
Sinceri votum pectoris accipias.
Gesta, quod gestas, Mæcenas inelyte, felix,
Atq; tuum faustè pasce diuq; gregem.
Adsit ubiq; tibi Christusve Charismave Sancti
Pneumatis, & cœli te regat ille Pater!

Magister Matthias von Lohe.

Anagram.

Ah gnarus homo, emittis tela.

ET tu gnarus homo rigidos emittis in hostes
Tela, nec insanis tradis ovile lupis.
Ah tu dignus es hac statione vir, utiliusq;
Tundero poterat claudere nemo latus.

Magister Johannes Kânzlerus.

Anagr. z. per t s.

Sanè norma es, & angelus Christi.

Magna Sacerdotis fuerat reverentia quondam,
Et pretium cathedræ promeruerè suum.
At nunc multa DEI patiuntur in orbi MINISTRI,
Nulla manent ipsos præmia, nullus honor.
Scilicet hæc præsens extremi temporis atas
A præcis multum degeneravit avis.
Tu sanè bonus es, Kânzlerè piissime, Christi
Angelus, & populi norma, canõnye tui.
Est ingrata tamen tellus tibi, Jane. Sed euge!
Non tales cœlos experière. Vale!



C

Magister

Magister Christophorus Straufius.

Anagramma

Tu Heros Christum agris suis portas.

Etitulis-STRAUSI-ne tuis extundere sortem.
Nulla poteram versificina queat?
Sanè magna tibi narrant miracula vates,
Quos ego plebeji censeo iudicii.
Ecce tuam sortem! si non vis credere, tenta:
Ne me sorte putes imposuisse tibi.
Tu Christum portas, suus antè fidelis alumnus,
Nuncq; suis Heros rite vocatus agris.
Jova suum tradit populum tibi; prepositamq;
Te sibi RENSURGI PRÆPOSITURACapit.
Non ergo poterant investigare poetæ
Nominis hanc sortem, Vir venerande, tui?
Tempore tam longo quoniam sine sorte fuisti;
Gratulor hanc sortem nunc cecidisse tibi!

Magister Christophorus Strause.

Anagramma.

Agro Christi Pastor resumtus es.

GRande geris munus, Strausi; magnaq; locavit
Te tuus omnipotens in statione Deus.
Mysta sacer Christi Pastorq; resumtus es agro,
Jam nunc ad proprias hinc abiturus oves.
Tu bene scis, quam sit gravis hæc provincia. Sed scis
Te quoq; præsentem semper habere Deum.
Ille tibi vires dabit, & tua diriget ora.
Ille dabit, tacitâ quæ tibi mente precor!

Magister Christophorus Strause.

Anagr. z. per t s.

Christus-Homo spes, turris grata, est.

CHristus-Homo spes est, & turris grata piorum.
Nixus es huic: Mundi nulla pericla time.

Magi-

Magister Ernestus Mylius.

Anagramma

Lenis vir es : gestas myrtum.

Compositus superas sedatum moribus equor,
Et sic Vir placido lenis es ingenio.
Hinc myrtum gestas, vir mellitissime. namq;
Pacifici myrtus symbolon est animi.

Epigramma

Mater Calliopéa, pater tibi doctus Apollo;
Euphrosyne nutrix, Clio ministra fuit.
Suxisti matris mel ab ubere pendulus infans.
Deberes dici Melleus; haut Mylius.

Magister Abraham Calovius.

Anagramma

Ah tu rem agis : vibra calamos.

AH vibra calamos, studiis exulte Calovi,
Melleq; Lectores uberiore riga.
Gustarunt rivos, gustarunt flumina multi,
Artis inexhausto quæ tibi fonte fluunt.
Tu studiis & iudicio maturus agis rem
Hinc magnum surget nomen in orbe tibi.

Theodorus Mülmannus.

Anagramma

Multum honorandus es.

OTheodore, mei pars mellitissima cordis!
O mea lux, anime dimidiūq; meæ!
Semper honorandus multum mihi præ reliquis es,
Quos mihi fautores Teutona terra dedit.
Ecce tui fulgent oracula nominis : unde
Et tibi surgit honos & mihi surgit onus.
Nam mea per sortes dum mens studiosa vagatur,
Par, Theodore, tuis laudibus esse nequit.

C 2

Non

Non moror hoc: sed eo te dignor honore libenter,
Dum plus te studeo conciliare mihi.
Nec detestor onus quantumvis non leve; cum sit
Calcar honos oneris, calcar honoris onus.

Theodorus Möllmann.

Anagramma.

Non tu molam redoles.

NON, Theodore, molam redoles tu, nec Molitorem:
Möllmannum quamvis te tua lingua vocet.
Nil tibi cum sacco, cum cribro, cumq; farinâ,
Cumq; volubilibus nil, Theodore rotis.
Altior est tibi mens. sequeris vexilla Minerva,
Atq; domos sanctas incolis Aonidum.
Hinc es tam procul à molitore molaq; remotus;
Solis ab occasu quam procul ortus abest.

Theodorus Möllmann.

Anagramma.

Tu homo dans ore mel.

UT posses dici Vir de meliore farinâ,
Raptus ab insani es, Theodore, molis.
Ut posses homo tu mel dans ex ore vocari,
Altus es à Musis melle favoq; puer.

Theodorus Möllmannus.

Anagr.

Tolles ad munus honorem.

ECCE tibi spondent studiorum præmia sortes,
Hic tuus in Musas ne sit inanis amor.
Tu studiis cultus tolles ad manus honorem,
Et præstans ad te munera tollet honor.

Geor-

Georgius Helmes.

Anagramma.

Hem Sol egregius.

EXquisita tui genitoris imago, GEORGI,
Cernitur ad vivum ejus in ore Pater.

Ingenium Geniumq; tuum dum melior, istud
Erumpo pulchre laudis in elogium:

Hem Sol egregius Juvenum, quos sacra Minervæ
Castra sequi studii fervidus urget amor.

Perge sequi Patris vestigia: quiq; fuisti
Sol Juvenum; posthac sis Cynosura virum!

Georgius Maschoy Gripsvaldensis.

Anagramma.

Sis egregius, placidus, gnarus homo!

ADdo tibi calcar, Juvenum flos belle, Georgi,
Addo simul vocam; prætereaq; nihil.

Ad celsos Phœbi montes audentior ito.

Et studiis magnum sic imitare Patrem.

O sis egregius, placidus, gnarusq; vir olim;
Laudibus & cunctis suspiciendus homo!

Johannes Paludnigius Casso-
viensis Ungarus.

Anagr.

Plus in annos, hoc ingenii ausu,
ad Jus assurges.

Fecero, Jane, nefas & inexcusabile crimen,
In nostrâ si non conspiciâre Rosâ,

Et tu flosculus es, blandæq; corolla Juventa,
Antiquive satum nobile germen avis.

Hæc Rosa forte tibi nescit decus addere: certè

Tu potes hanc multum condecorare Rosam.

Tu mihi semper eras peregrino fidus Achates,

Et socium longæ, Jane, comesq; vie.

C 3

In-

Intraſti mecum tu Roſtochienſe Roſetum,
 Traxiſtiq; pari conditione jugum.
 Sors eadem nobis: unus Præceptor, & Hoſpes;
 Una domus, lectus ſemper & unus erat.
 Ingenii, quæ te rapiunt ſuper æthera, pennas
 Supprimo; ne juſto langior efficiar.
 Tu dum pervolitas animo genus omne librorum,
 Cecropias ſtudio ſic imitaris apes.
 Floribus ex variis illa ſua mella reportant,
 Tu varias ſtudio nobilioris opes.
 O fac ingenii tanto feliciter auſu
 Magnifica Themidis poſt quoq; miles ova.
 Aſſurges ad Jus ſic plus in quolibet annos,
 Atq; tuæ lumen poſteritatis eris.


Joannes Paludnig Caſſovia-Ungarus.

Anagr.

Diligens ac gnavaſ Jus paro; non Vaſa.

INvenias quosdam, SOPHIÆ qui caſtra ſequuntur,
 A ſolis ſtomachis, ora tenuiq; Viras.
 A quibus egregie tyathi pateraq; rotari,
 Siccariq; probè pocula larga queunt.
 Quorum de librũ nec quæras. tota ſupellex
 Sunt; calices, patera, pocula, vitra, ſcyphi,
 Cantarus, olla, lebes, ſimul amphora, tralla, cululli:
 Totaq; de Samio bibliotheca luto.
 Hi bene reſtantur SOPHIÆ ſibi clauſura patere,
 Nam ſunt egregii nomine reſq; Soti.
 Non tu, Jane, pari ſtudio Jus quæru & Equum,
 Namq; parvas Libros, nullaq; Vaſa tibi.
 Non opus eſt ut te dicas non eſſe bibaſem,
 Credimus hoc de te vel ſine ſorte tibi.
 Horres naturâ Bacchi Cereriq; liquorem,
 Jane, meramq; bibis ſemper, ut aſſer, aquam.
 Obfuſcant nunquam cerebrum, tibi nubila. Sane
 Sana dabis tu, me iudice, iudicia.

Epigram-



Epigramma,

& Allusio

Ad cognomen

RECTORIS MAGNIFICI

Domini

Petri Laurembergii, &c.

LAureus ignoro num MONS sit, an Aureus iste:

A se nam distant utraq; verba parum.

Unica dematur capiti si littera, surget

Aureus hic, qui MONS Laureus antè fuit.

Laureus & rursus fiet, velut antè, priorem

Si rursus subeat littera dempta locum.

Torqueor in bivio dum sic incertus & anceps,

Calliope sic est reddere visa mihi:

Magnus LAUREMBERG & Lauro fulget & Auro:

Ac merito tituli gestat utrumq; decus.

Laureus ergò tibi dicatur & Aureus ille:

Aureus ingenio, Laureus eloquio.

Conclusio.

Ad Rectorem Magnificum.

ELoqui melioris egens ego nil loquar ultra;

Fam nugis saturum te reor esse meis.

Te, LAUREMBERGI, mitto: rudis anser Olori


Ne videar justo longius obstrepere.

Ecquid enim sperent à te mea carmina? quid non?

Autori constant vix satis illa suo.

Ut multum placeant tibi non exspecto. Beatus

sim satis haut multum sitibi displiceant.



Ad iniquum Censorem.

SI quis inhumane legat hac Anagrammata censor.
Hancq; ROSAM cupiat forsitan olfacere,
Ponat inhumane fastus & cornua frontis,
Et placidi vultus induat ille Viri.
Fortè quid incultum per sortes excidit istas
Nec roseo tinctum fluxit odore satis?
Cogitet angusto clausum me carcere; florem
Vix potuisse meum dulcius imbueri.
Melle licet careat Latia ROSA nostra loquela,
A rebus certè sat nitet illa suis.
Sufficit humanis hoc naribus. Et mediocri
Esse potest hominis nasus odore satur.
Non patitur grandes nasos ROSA parva. Procul sint
Qui monstrum nati sesquipedalis habent.

Ge
He
Exquisita tui genitoris in
Cernitur ad vivum
Ingenium Geniumq; tuum da
Erumpo pulchre laudis
Hem Sol egregius Juvenum
Castra sequi studii serv
Perge sequi Patris vestigia :
Sol Juvenum ; posthac

Georgius M

Sis egregius,
Addo tibi calcar, Juvenu
Addo simul vocam ;
Ad celsos Phœbi montes aude
Et studiis magnum sic in
O sis egregius, placidus,
Laudibus & cunctis suscip

Johannes

Plus in ann
ad
Fecero, Jane, nefas & in
In nostrâ si non conspu
Et tu flosculus es, blandaq;
Antiquive satum nobil
Hac Rosa forte tibi nescit de
Tu potes hanc multum o
Tu mihi semper eras peregrin
Et socium longa, Jane,



the scale towards document